

pro expensis a Diffinitorio Provinciali designandis. Si autem excesserit, pro designandis a Diffinitorio Generali, ad quod quotannis mittere debent Magistri Novitiorum cujuscumque Provinciae notitiam fideliter enarratam, & a se, Ministro, & Confiliariis subscriptam de Profitentium hereditatibus, & bonis. Quod illis praecipimus in virtute Sanctae Obedientiae sub praeepto formali, & sub poena inhabilitatis in perpetuum, aliter facienti.

II. Ut autem Redemptor Captivorum non tertiam partem cujuscumque medietatis accipiat separatim, sed simul totius integram totum dividendum est in tres partes, & tertia separata pro Captivis, quod reliquum fuerit, declaramus debere in conscientia reddi, ac restitui dicto Collegio, vel Diffinitorio, & Redemptioni. Hoc autem tantum intelligatur, quando noster Professus non fecit Testamentum ante professionem in favorem alicujus personae extra Ordinem nostrum, si enim fecit, ejus ultima voluntas adimpleatur. Dum tamen Testamentum, aut Renunciatio sit sine gravamine Missarum, aut alterius pie memoriae, & si imponatur hujusmodi gravamen, semper intelligatur Novitium fundationem facere in favorem Religionis, & non alicujus determinatae Domus, aut personae intra Religionem; quia cum Conventus nostri nullum possint recipere onus sine licentia Superioris Generalis, & aliunde illius conscientiae juxta Canonicas Sanctiones, sit non permittitur, quod Conventus graventur ultra posse, ad ipsum deinceps pertinere debet, quod in Ordine adimpleantur ultima voluntates Novitiorum post professionem eorum, sine alicujus Conventus jure.

III. Praeterea praecipimus in virtute Sanctae Obedientiae, sub praeepto formali, omnibus, & singulis nostri Ordinis Religiosis tam Praelatis, quam subditis, ut nullus moneat Novitios, neque eos inducat, ut Testamentum, aut Renunciationem ante suam professionem faciant in favorem alicujus personae extra, nec intra ordinem nostrum.

IV. In exigendis bonis per Fratres in nostra Religione professos, relictis nobis, vel ad Nos pertinentibus maxima servetur charitas, & praee oculis habeatur indigentia, & qualitas Fratrum, & Sororum Religiosorum, & specialiter hoc observetur cum ejus Patre, vel Matre, quando per mortem alterutrius hereditas obvenit nobis, tunc enim (si charitas exigit) volumus ne talium bonorum fructus exigantur, vel petantur, donec alter superstes moriatur.

§.2. Emanavit deinde a Congregatione eorumdem Cardinalium, re undique mature discussa Decretum tenoris sequentis: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, referente Eminentissimo Domino Cardinali Gentili Ponente re undiq; mature perpenfa supraferiptas Constitutiones censuit esse approbandas,

Decreto Congregationis Episcopalis & Regularium praedictae Regulae confirmatae.

prout praesentis Decreti vigore benigne approbat, atque confirmat. Roma die 23. Augusti 1737. Cardinalis Franciscus Barberinus Praefectus. C. Archiepiscopus Damiatinae Secretarius. Loco * Sigilli.

§.3. Quare praedictus Procurator Generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut praesentatas Constitutiones, & Decretum hujusmodi Apostolicae confirmationis patrocinio communiti de benignitate Apostolica dignaremur.

§.4. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter anhuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Constitutiones praesentatas, & in eis contenta quaecumque, nec non dictae Congregationis Decretum auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitate quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliove quoslibet etiam formales, & substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter, vel accessorie, aut alia quovis modo intervenerint, seu intervenissent, dici, censer, vel praetendi possint, penitus, & omnino supplemus, & sanamus.

§.5. Decernentes easdem praesentes literas, ac Constitutiones, & Decretum praesentatae semper firma, valida, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sique in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuntios, aliove quoslibet quacumque praesentia, & facultate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis etiam Ordini praedicto, illisque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque

Procurator Gener. Papae supplicat pro Apost. confirmatione.

Annuat Pontifex.

Hae literae perpetui roboris adiecit firmitatem.

Contraria tollit.

cumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorum sub anno Piscatoris die 2. Augusti 1738. Pont. Nostri Anno Nonno.

Dat. die 2. Augusti 1738. An. IX.

CCXXXVIII.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Canoniorum Regularium Ordinis Sancti Antonii Viennen. per quod statuitur, quod Laici dicti Ordinis professionem post quatuor annos tantum emittere possint.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. E Xponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator Generalis Canoniorum Regularium Ordinis Sancti Antonii Viennen, quod per Constitutiones dicti Ordinis par. 2. Cap. 1. de recipiendis in Ordine n. 7. cautum reperitur, ne Fratres Laici, seu Conversi dicti Ordinis ad professionem per eisdem emitti consuetam, nisi postquam decem annorum spatio dicto Ordini tanquam Donati inserverint, & subinde novitiatum annum peregerint, admittantur; & cum pluribus ab hinc annis Superiores Generales Ordinis hujusmodi malum effectum, quem praedictum tempus, asserere solet, agnovissent, nam plurimi ex dictis Donatis erga divinum servitium desides, alteri a fallaci licentia ilecti, & alii demum a Cacodamone instigati cum tempus emittendi eandem professionem prope imminere animadvertenti a proposita animi sententia recedunt, per quoddam Decretum Capituli Generalis dicti Ordinis mense Majonuper elapso celebrati tempus undecim annorum hujusmodi ad quatuor annos dumtaxat redigere studuerunt, & alias prout in ejusdem Capituli Generalis decreto tenoris, qui sequitur videlicet: Extractum ex actis Originalibus Capituli Generalis anni 1738. Ex Sessione 14. Quantum ex Fratrum Converterorum servitii rerum temporalium administratores in omnibus Ordinis Nostri Domibus, sed in hac inclita praesertim Abbazia adjumenti capiant nemini non perspicuum est. Verum hodie paucissimi sunt idonei Juvenes, qui in tali statu Deo militare velint, & ii ipsi, quibus hunc Dominus effectum inspirat; longissimo temporis tractu, quo probantur per decem annos in habitu Donatorum, & per

Juxta Regulas Ordinis Laici non nisi post undecimum annum servitium, & Novitiatum ad Professionem admittendi.

Capituli Generalis Decretis hujusmodi terminatis ad quadriennium redactis.

Bull. Rom. Tom. XIV.

annum undecimum in Novitiatu plerumque a proposito deterrentur; Unde vel habitum non suscipiunt, vel susceptum urgente Demonis tentatione, cui tandiu resistere difficile est leviter dimittunt. Igitur Ven. Catus cupiens Converterorum Fratrum penuriam, aut totalem etiam extinctionem avertere, statuit esse brevandum eorum probationis tempus a decennio ad triennium; ita ut post tres annos in statu Donatorum emensos, alterumque insuper in Novitiatu, si habiles judicentur, ad Religiosam professionem admitti valeant. Quapropter Procuratori Generali in Curia inungitur, ut necessariam super hoc a SSna Sede legum, seu Constitutionum nostrarum dispensationem humiliter exposulet. Concordat cum Originali N. Gasparini Abbatis Generalis S. Antonii A. Boudels Secretarii Capituli Generalis Loco * Sigilli.

§.2. Cum autem, sicut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, Decretum Capituli Generalis hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret.

§.3. Nos ipsum modernum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentatum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adicimus.

§.4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sique in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice

Apostolica munimine roborari d. Decretum petit Procurator Gen. Ordinis.

Confirmat Clemens.

Sique in posterum jubet servari.

Derogat obstantibus.

Dat. die 2. Augusti 1738 An.IX.

ce dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Augusti 1738. Pont. Nostri Anno Nono.

CCXXXIX.

Confirmatio Decreti Congregationis de Propaganda Fide super facultate, Præfecto Apostolico Missionum Mequinez, Marochii concessa, instituendi Procuratorem dictarum Missionum in Oppido Matriti.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Provincialis Provincia S. Didaci Congregationis de Propaganda Fide exhibuit necessitatem constituendi Matriti Procuratorem Missionum Mequinez.

§.1. Nuper pro parte dilecti filii Francisci Romero a Sancto Antonio Fratris expresse professi, ac Ministri Provincialis Provinciæ Sancti Didaci in Bethica Ordinis Minorum Sancti Francisci Discretorum nuncupat. & Præfecti Apostolici Missionum Mequinez Regni Marochii Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fide præpositæ exposito, dictas Missiones quoad expensas in eisdem occurrentes tam pro manutentione Missionariorum, quam Regii Hospitalis Mequineræ existentis sub cura ejusdem Missionis dependere præcipue a Regia liberalitate charissimorum in Christo filiorum Catholicorum Hispaniarum Regum, qui jam a pluribus retro annis copiosas elemosynas ad id dare confueverant, nihilominus ipse Franciscus experimento didicerat, aliquando eventurum esse, ut nisi aliquis Religiosus dicti Ordinis in Oppido Matriti Toletan. Diocesis assistat, qui nomine Provinciæ, & Missionum cum regijs Ministris prædictas elemosynas sollicitet, sitque eisdem cognitus, & gratus, prædictæ elemosynæ in toto, vel in magna parte deficiant. Quapropter ipse Franciscus cum suo Definitorio prospiciens bono dictarum Sacrarum Missionum ut ne eadem detrimentum patiantur plurimum desiderabat, ut sibi facultatem instituendi in prædicto Oppido Matriti aliquem ex suis Religiosis in Procuratorem, qui continuo ibidem assistens, prædictas elemosynas sollicitare, & favorem eorumdem Regum in necessitatibus, & persecutionibus, quæ frequenter Barbaris Africanis contra illas excitantur, implorare valeat; ac insuper collocandi dictum Procuratorem cum socio illi designandum (ob deficientiam Conventus Provinciæ prædictæ in suprascripto Oppido) in quocumque ex tribus Conventibus diversarum Provinciarum Ordinis ejusdem S. Francisci in Oppido hujusmodi existentibus, quem ipse Franciscus judicaverit opportuniorem ad prædictam procuratorem, accedente tamen consensu dilectorum filiorum Superioris illius Conventus, seu etiam Ministri Generalis pro tempore existentium concederet; emanavit ad sup-

plicationem prædicti Francisci ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habita die 4. Augusti 1738. -- Relato per R.P.D. Philippum de Montibus Secretarium suprascripto libello supplicis, & audito Patre Ministro Generali Ordinis S. Francisci, Sacra Congregatio Oratoris precibus benigne annuit juxta petita, salva tamen semper Procuratoris prout in precibus constituendi, ejusque Socii pro tempore omnimoda ab eadem Sacra Congregatione dependentia. Datum Romæ ex ædibus præfate Sacræ Congregationis die, & anno, quibus supra V. Cardinalis Petra Præfectus. Philippus de Montibus Secretarius loco * Signilli.

§.3. Cum autem, sicut pro parte dicti Francisci nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti plurimum desideret. Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis profectui volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§.4. Decernentes easdem præfatas litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciæ, Conventus, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum.

Decretum Congregationis præfate.

Confirmatur a Clemente.

Sicque semper servandum præcipitur.

Contraria tolluntur.

Dat. die 22. Augusti 1738 An.IX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Augusti 1738. Pontificatus nostri Anno nono.

CCXL.

Confirmatio quorundam Decretorum pro felici regimine Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti jussu Capituli Generalis editorum.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

EX injuncto nobis cœlestis Apostolicæ servitutis munere ea, quæ pro felici, prosperoque Christianidelium Altissimi obsequiis sub laevi Religionis jugo mancipatorum regimine, & gubernio provide facta, & ordinata esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri præfidiis, cum id a nobis petitur, libenter constabimus.

Septem Abbates deputati ad Decreta edenda, quibus tollantur abusus in Ordine.

§.1. Exponi liquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michael Franciscus Vailetus Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quod in Capitulo Generali Congregationis hujusmodi in Civitate Paduana mense Maio proximo præterito celebrato ad effectum evellendi quosdam abusus, qui in nonnulla Monasteria dictæ Congregationis induebantur, septem digniores Abbates ejusdem Congregationis consilio, sapientia, & prudentia præditi, nempe unus pro quacumque Provincia Congregationis hujusmodi electi, & deputati fuerunt, qui pro bono Congregationis prædictæ regimine, nonnulla decreta ordinarunt, quæ pro constabiliendis regulari disciplina, statutorumque observantia, necnon debita hujus Sanctæ Sedis Constitutionibus reverentia, conservanda a pleno Definitorio approbata fuerunt, tenoris, qui sequitur videlicet = Decreta pro bono regimine Congregationis =

Ea a Definitorio Gener. approbata.

Præfatio Decretorum.

§.2. Cum multi, iique graves abusus in quibusdam Monasteriis nostræ Congregationis irrepperint, & sensim, atque in dies serpere intelligantur, quibus disciplina regularis non solum aperte negligitur, sed etiam temere labefactatur, Reverendissimi Denitiores huic malo occurrere mature, & prudenter cupientes nobis eam Provinciam demandarunt, ut re diligenter examinata, fecerneremus, ea, quæ omnino corrigenda viderentur. Quare duximus ea, quæ sequuntur, capita animadvertere, eorumque Judicio decernenda proponere.

Ubi sunt Monasteria Ordinis non constituenda Hospitia pro Abbatibus, & Monachorum habitatione.

§.4. I. Quia compertum est ex privatis Hospitiis multa, & gravia mala proficisci, ideo statuimus, ut in locis, in quibus Monasteria nostra existunt Hospitia pro Abbatibus, & Monachorum habitatione, non habeantur, exceptis iis, quæ ab antiquo tempore constituta fuerunt, dummodo tamen Ecclesias ad usum, & commoditatem Populorum annexas habeant.

§.5. II. Ac quoniam in declarat.

Cap. 6. n.9. hæc habentur = licentia vero discedendi a Monasterio infra annum recreationis, vel etiam devotionis causa, seu alio quovis prætextu Fratribus nostræ Congregationis a Definitoribus, vel regimine, aut a Prælatibus non concedantur, nisi ex rationabili causa, & raro ad evitandas vacationes &c. propterea Abbates, tempore Bacchanalium non permittant morari Monachos extra Monasteria, neque prætextu adeundi consanguineos, vel affines, nec alia qualibet quælibet causa. Adolescentibus autem, & junioribus, donec non fuerint Sacerdotio initiati, non concedant facultatem pernoscendi extra claustra, neque recreationis, neque etiam causa devotionis, nisi in casibus Constitutionibus permixtis.

Non concedenda pernoctationes extra Monasteria, nec in iis permittendi ludicri actus.

Quod si causa postulent dari facultatem aliquibus ultra unius diei iter eundi, tunc omnino serventur ea, quæ in declarat. Cap. 67. num. 8. 9. & 13. servanda commemorantur.

Similiter dicti Superiores nunquam permittant, aut tolerant, quod Monachi, deposito habitu Monastico, vel Personati incedant, vel ludicros actus recreationis causa in ipsomet Monasterio, aut alibi quomodocumque exercent.

Prælati abfque legitima causa a Monasteriis abesse non debent.

§.6. III. Declaratio Cap. 67. ita statuit num. 11. = Quod si Prælati mora extra Monasterium tres menses excesserit Præfatus, & Visitatores illi Monasterio Administratorem deputent = & merito cum scriptum sit; Veruntamen sanguinem eorum de manu tua requiram = Quod si etiam minori tempore sine causa abfuerint, sciant Prælati se, & apud Deum reos esse, & pro modo culpæ a Capitulo Generali, vel regimine puniendos, dum constiterit sine causa eos abfuisse.

§.7. IV. Prælati quam diligentissime animum attendant ad ea, quæ habet Regula in declarat. Cap. 2. n. 2. scilicet: Ut Subditos reddant in obsequendo promptiores, ipsi forma gregis fiant, & Duces agendorum. Ergo regularibus observantiis, Chori, Refectorii, ceterisque semper intersint &c. Quod vero hoc loco Abbatibus regiminis faciendum Regula inculcat, id ipsum multo magis a Prælatibus faciendum volumus, qui nullam administrationem habent, vulgo dicti nullatenenti.

Aliis exemplis sine in Regularibus observantis.

§.8. V. Mutationes Monachorum, non alia ratione fiant, quam uti monet Regula in declarat. Cap. 67. n. 15. Ut autem lites omnes, quæ mutationum causa oriri solent, de medio tollantur, statuimus, quotiescumque Monachi mutati fuerint auctoritate Capituli Generalis, vel diætæ, vel si extra tempus congressus Prælati aliquem mutare voluerint, debere Monasteria a quibus mutati discedunt, iis suppeditare omnia necessaria. At si quis Monachus extra id tempus mutari petierit, ob eamque rem importune institerit, & si discedendi facultatem impetret, nihil tamen a quopiam exigere possit.

De mutatione Monachorum de Monasterio ad Monasterium non facienda.

§.9. VI. Cum Decretis Sacræ Congregationis Concilii de regularibus Apostata-

De Carceribus publicis Provinciarum.

statis, & ejectis ann. 1624. cautum sit, ut unaqueque Religio habeat carceres in quolibet saltem Provincia ad incorrigibiles, scandalosos, criminosos, ac similes puniendos, & coercendos, nos etiam Congregationis Monasteria singula privatos habent carceres juxta Constitutiones nostras, tamen ad tutius, & commodius eosdem illos compescendos assignamus publicos carceres in Monasterio S. Petri de Perusio pro Provincia Romana, & Etrusca; in Monasterio Montis Casini pro Provincia Neapolitana; in Monasterio S. Martini Panormi pro Sicilia; in Monasterio S. Salvatoris Papiae pro Lombardia, & Liguria, in Monasterio S. Justinae de Padua pro Veneta, in quibus detineantur. Ne vero haec Monasteria injuste graventur, decernimus, omnia necessaria tam pro expensis ad transmissionem reorum, quam pro victu, & vestitu ab illo Monasterio tribuenda esse, cui reus nomen dederit. Possint tamen Praelati ad aliquod ex assignatis Monasteriis extra Provinciam mittere hujusmodi criminosos, dummodo Abbas illius Monasterii consentiat, vel Capitulum Generale, aut Regimen id praecipiat, falvis semper, quae de expensis dicta sunt.

De modo procedendi contra reos.

§. 10. VII. Cum autem non levis inoleverit abusus, quod nempe contra Monachos, ut supra delinquentes non conficiantur processus super qualitate, & verificatione delicti ab eis commissi, volumus quod in posterum in singulis casibus, in quibus aliquis Monachus crimen patriverit, ob quod puniri mereatur, Superior processum per aliquem peritum confici omnino curet deinde Delinquentem pro modo culpa puniatur Processum vero in Archivio Monasterii asservandum reponat, ut si unquam idem Monachus pluries deliquerit, hujusmodi Processus inservire possit ad probandam ipsius incorrigibilitatem, quae ut plurimum ex defectu debite probationis excluditur.

De cavendis nimis expensis Aedificiorum, & honesta rerum administratione.

§. 11. VIII. Quia saepe ex nimia aedificandi cupiditate Monasteria jacturam magnam patiuntur, meminerint Praelati, & Visitatores ea, quae de aedificiis praescribuntur in Declarat. Regula Cap. 66. Quae quidem de aedificiis constituta intelligi, atque observari volumus etiam de extraordinariis expensis in Hospitiis suscipiendis, in ornatu Monasteriorum, & Templorum, & aliis hujusmodi. Quare Visitatores Provinciae curent diligenter, ne hac in re quoque peccetur, & si deprehenderit aliquid contra laudati Capituli Declarat. admitti, aut tentari, etiam extra actum visitationis certiores faciant Patrem Praesidem, qui statim aedificii, & sumptuum progressum interdicit. Quod attinet ad reliquam Monasteriorum administrationem, Abbatibus in memoriam revocamus exactam observantiam Constitutionum Apostolicarum maxime vero Alexandri VII. de Cellerariis, qua sub gravissimis poenis praescribitur, ut Cancellarii nihil sine scientia, & jussione Abbatis agant, & Abbates per se ipsos in rerum temporalium administratione non se ingerant.

§. 12. IX. Quoniam Monachis negotiationes Sacris Canonibus interdicuntur, volumus omnino in eos animadverti, qui illicitis negotiationibus operam dare deprehensi fuerint eisque infligi poenas Cap. 57. nostrae Regulae num. 2. statutas.

Vel ambientes.

§. 13. X. Cum nihil magis Monachorum vitae, & Monasticae disciplinae noceat, quam cupiditas honoris, & dignitatis, teneantur Praeses, Visitatores, Procurator Generalis, & Monasteriorum Superiores PP. Definitoribus referre officia commendationes, preces, quas deferunt Saeculares, Ecclesiasticae, aliaeque personae quaecumque ut in Bullis Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra ambientes, in favorem alicujus ad obtinendas Praelaturas, dignitates, gradus, officia, administrationes & quae re cognita, PP. Definitoribus eligant duos, vel tres Abbates, qui accurate inquireant, & examinent. Si quis fuerit hac in re ita deliquisse denuntiatus, ut verum convinci possit censuras incurrisse, quod si cognoverint, serventur ea, quae statuuntur in Bullis laudatis, sive ipse institerit apud praedictas personas, sive per medium alterius etiam nostrae Congregationis tales instantiae, & sollicitationes praesumantur factae de ejus commissione, seu voluntate. Si vero convinci nequeat, & gravis tamen suspicio remaneat ad ejus instantiam preces commendationes, & officia adhibita fuisse, causa proponatur iterum discutenda in omnibus sequentibus Capitulis generalibus, donec definiatur. Interea tamen, qui sic egisse in suspensionem cadit, nullis officiis, aut dignitatibus quae a PP. Definitoribus, aut Capitulo Generali conferuntur, ornari possit.

De administratione temporalium per Abbates.

§. 14. XI. Compertum est, bona temporalia, quae subsidia sunt hujus vitae, multum conferre ad Regularem disciplinam retinendam. Si igitur ad notitiam regiminis venerit Praelatum aliquem male administrare bona Monasterii, Regimen moneat Abbatem, & opportunis remediis curet, ut eundem deterreat de sententia, & in officio contineat; Quod si Abbas desistere noluerit, pro modo contumaciae ad ulteriora procedat, usque ad suspensionem a regimine, & deputationem Administratores. Hoc autem loco expedire judicamus, si Decretum alias emanatum a Capitulo Generali anni 1732. repetatur, & hic inferatur, quod sic habet: Praesules Monasteriorum in gravibus quibuscumque rebus, quales sunt constructiones, alienationes, & similia, quae seniorum consensum possunt ex jure teneantur deinceps eorum suffragium exquirere, non equidem praestandum voce, vel nutu, sed secreto Instituto Scrutinio, ut, quae decet, sit cuique facultas libere proferendi, quod in Monasterii utilitatem cessurum judicavit.

A Saecularibus nihil exigendum pro victu, & vestitu Novitiorum.

§. 15. XII. Ac, ut facilius via pateat, his, qui Monasticae vitae desiderio tenentur eamque ingredi volunt, maxime laudamus morem illum, & Institutum nihil exigendi a Saecularibus pro victu, & vestitu Novitiorum; Quod ipsum Institutum arripendum,

deum, & retinendum judicamus, & omnino observari volumus, ut jocalia, passus, pecunia, aliaeque res, etiam ad divinum cultum, vel usum communem Monasterio applicandae non exigantur, seu petantur ratione ingressus, vel professionis juxta Constitut. Urbani IV. quae incipit: Sane in vinea Domini tit. de Simonia inter Extravagantes communes, ne in poenas gravissimas, praecipue excommunicationis latae Sententiae solo Romano Pontifici reservate ibi infligatur incurrant.

De Visitatoribus, & modo Visitations.

§. 16. XIII. Quamquam secunda parte Constit. Cap. 2. num. 14. non tenentur PP. Visitatores in actu visitationis omnes de Familia de rerum statu interrogare: quia tamen ob eam rem incommoda multa oriri possunt in detrimentum Monasteriorum, & ne ullus suspitionibus, quae Charitatis vinculum perumpere possunt, locus detur, necesse esse arbitramur, ut in posterum omnes de Familia a PP. Visitatoribus vocentur, & interrogentur. Ipsi autem PP. Visitatores meminerint ea, quae ibidem num. 23. praescribuntur, scilicet ne revelent Testes, aut ea, quae in visitatione ne acceptentur sub poena ibidem statuta. Caveant etiam diligenter, ut acta visitationis ita custodiantur, ut a nemine videantur, aut legantur in Monasteriis, quae visitare porrexerint.

De computis reddendis, & Proprietariis.

§. 17. XIV. Ut autem PP. Visitatores rite, recteque munus suum fungi queant, constituatur formula pro exhibendis computis Monasteriorum Capitulo generalis, & Definitoribus novis Visitatoribus eadem computa consignent, qui in actu visitationis, ea cum libris conferant, praesertim vero cum computis mensuris, quae in libro vulgo la Vacchetta continentur. Computa vero a dictis Visitatoribus habita deferantur ad Capitulum ad hoc, ut ibi a deputatis ad computa conferri valeant cum aliis computis, quae singuli Abbates coram ipsis praesentare tenentur. Quoniam vero idem Visitatores inter cetera inquirere debent, an Proprietarii aliqui in Monasterio inveniuntur propterea magna adhibita diligentia visitent casam Depositorum, quae in re, quae gravissimum momentum habet, ipsorum Conscientiam oneramus.

Vestibus.

§. 18. XV. Quoniam vero Monachi non intimam solum animi modestiam, sed etiam externam praeserere debent, hic repetendum censemus Decretum editum n. 2. in Capitulo Generali anni 1738. ad tollendos abusus, qui in Vestimentorum usu apud Monachos irrepererint.

Summam etiam diligentiam adhibeant Abbates in extirpandis abusibus, si qui forte apud Monachos irrepererint in Vestimentorum tum interiorum, tum exteriorum usu, quae a Religiosa simplicitate, & humilitate aliena prorsus sunt, praesertim vero solertissime in eos inquirent, & severissime etiam animadvertant, qui in Pileis, Caligiis, & Calceis seculi pompas Religiosis viris indignas affectare videntur. Quod dictum quoque habeatur adversus eos, qui Tonsum Monasticam minime

gerunt, & ut hisce in rebus Praelati vigilantiam omnem exercent, eorum conscientiam oneramus. Addimus autem expresse huic decreto: ut Tunica sit undequaque clausa juxta Clem. Ne in agro, & nullo modo, vel in toto, vel in parte, recedat ab antiqua nostra consuetudine. Urgemus etiam integram, firmamque observantiam eorum, quae de Vestimentis, ornamentisque statuuntur in Declarat. Cap. 55. Nostrae Regulae, quae ab omnibus omnino servari mandamus. Et quoniam liber esse nemo debet ab iis officiis reddendis, quae pertinent ad vitae genus, & Regularis observantiae disciplinam, inviolabiliter servari volumus ea, quae Cap. Regulae nostrae 63. num. 11. de Abbatibus Titularibus praescribunt. Teneantur autem ad hanc rem Abbates Regimini monere Regimen, & Capit. generale, quando, quomodo, & quibus in rebus Titulares Abbates ab officio discedunt.

Decanis in consistorio, administrationis per Abbates suscipiendis.

§. 19. XVI. Quia Praelati Decanorum opera indigent, cum quibus onera partiantur, quique ad ea sustinenda sint pares, hortamur Abbates, ut oeconomica officia Sacerdotibus non conferant, nisi tempore Sacerdotii sui per biennium continue observantiae Regulari vacaverint, alias facile poterit accidere, ne in Decanos assumi possint ad praescriptum Constitutionum Cap. 21. Reg. n. 4.

Officio Decanorum.

§. 20. XVII. Qui autem Decani sunt constituti sollicitudinem gerant super Decanias suas, audiant culpas Monachorum, & corrigant eos in mansuetudine, & Charitate. Visitatores vero, ut in actu visitationis de hac re sedulo inquirent, moneamus, & obsecramus.

Studiorum frequentatione.

§. 21. XVIII. Cum perspicuum sit, studiis facultatum mores hominum formari, ac perfecti, rectissime cavet Regula Cap. 47. in Declarat. num. 7. Ne tamen Adolescentes a studiis avocentur, nullus Monachorum ad officia oeconomica, sive temporalia, etiam domestica, assumi possit, nisi completo saepe conversionis anno duodecimo: quod quidem idcirco statutum est ut possint Adolescentes studiis facultatum vacare. Quare etiam qui fuerint Sacerdotio initiati Scholas frequentare, omnino teneantur, donec in studiis Philosophiae, Theologiae, & Sacrorum Canonum Secundum Monasteriorum consuetudinem cursum confecerint. Quae Sacrorum Canonum studia, ubi vigent, retineantur, ubi vero jacent, restituantur.

Votis commissorum.

§. 22. XIX. Quoniam invaluit falsa, quaedam, & male consultata opinio de Votum natura, & vi, quae a Nostris Commismissis emittuntur, ideo ad eam avellendam noverint omnes Praelati, Priores, Decani, ceterique Monachi commissos nostros Fratrum nostrorum nomine censeri, & in eodem numero computari, atque ideo, donec ipsis nobiscum a Superioribus permanere permittitur, teneri eos servare Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam per vota simplicia, a qua obligatione eo ipso solvantur, cum eos a Congregatione dimitti

mitti contigerit, uti expresse tradit Declarat. Cap. 58. nostrae Regulae n. 20.

Nullo igitur modo solvi possunt a praedictis votis, nisi a Congregatione dimittantur. Hinc reprobata eorum opinio, qui volunt committos ad arbitrium suum posse se liberare obligatione Votorum, si decesserint, petita solum a Praelato facultate. Hinc etiam expungenda est interpretatio (quae forte huic opinioni locum dedit) illorum verborum. A qua obligatione eo ipso solvantur, cum eos a Congregatione dimitti contigerit, quae per haec alia italice redduntur. Dall' obligazione, de quali sono subito sciolti, quando occorre, che parono, o sono cacciati dalla Congregazione. Quae interpretatio irrepit in Regula italico idiomate semel, & iterum Mantuae excussa.

Causis dimittendi Committos.

§. 23. XX Causae autem, & modus eos dimittendi habentur Cap. 28. Regulae Declarat. n. 4. Quare sciant Praelati, ac ceteri eos dimitti non posse, nisi modus eos expellendi Regula praescriptus fervetur, & causae subint, praecipue contumacia, ob quas juxta Constitutiones nostras, dimitti possunt, quae si non adsint, non possunt expelli. Ad compescendos autem eos, qui Monastico Ordini malis moribus magnopere obfunt, necesse ducimus monere PP. Visitatores, & omnes Praelatos, ut denuntient PP. Diffinitoribus Criminosos, Scandalosos, Inquietos, & Processatos, ut describantur eorum nomina in libro In corrigibilium juxta praescriptum Constitutionis parte 1. Cap. 17. n. 12.

Tandem ad tollendum abusum, qui apud eos irrepit, qui titulo solute pecunie pro victu, putant se liberos esse ab observantiis Regularibus, praecipimus Praelatis ut nulla solita pecunia habita ratione, nunquam eis permittant a Choro, ceterisque observantiis Regularibus abesse, sed ita, ut ceteros de Familia, cogant eos de genere in singulis, ne immunitatem ab observantiis Regularibus vendere videant. Volumus etiam, ut in singulis Monasteriis mentalis Oratio habeatur ab omnibus, quae Oratio ante, vel post Horae primae recitationem haberi solet.

Infirmorum cura.

§. 24. XXI. Ad extremum, ut infirmis Fratibus provideatur, caveant Abbates, & Cellarii, ne oeconomiae obtentu infirmi Fratres negligantur. Quod ne accidat, videat cap. 36. nostrae Regulae ejusque Declarat.

Hac autem iis, quae de Mutationibus dicta sunt, adicienda censemus.

Additiones ad supraposita Decreta.

§. 25. Si quis Monachus extra Monasterium, cui rite, recteque assignatus est de Familia, antequam ad illud pervenerit, infirmatur, & moritur, Monasterium Professionis consequatur spoliū, & teneatur ad omnes expensas ad victum, ad medicamenta, ad funus necessaria. Si vero convalescat, & ad Monasterium, cui rite assignatus est, pervenerit, idem Monasterium quemadmodum Jus Spolii acquirit, ita teneatur ad omnes expensas commemoratas. Illi vero rite mutati intelligantur,

quos vel in comitiis sive majoribus, sive minoribus, vel extra illa, ubi necessitas, vel utilitas postulet, Praelati ad se invicem mittunt communi consensu, adjuncta P. Praesidis, vel visitatorum facultate, uti praescribunt Constit. nostrae 2. partis cap. 4.

Ut autem Praelati sint in mutationibus rite faciendis cautores, statuimus, ut si Monachus mutetur, posthabitis conditionibus enarratis, & infirmetur extra Monasterium, sive moriatur, sive convalescat, a Monasterio, cui assignatus erat, omnes expensae solvantur, & nihilominus Jus Spolii amittat, quod acquiritur Monasterio Professionis, dummodo ad Monasterium, ad quod minus recte transmittebatur non pervenerit.

II. Si quis nostrae Congregationis Monachus a Monasterio ablit, cui assignatus est de Familia, quacumque de causa ablit, moriatur extra illud, sive in Monasteriis nostris, sive in aliis locis quidquid apud mortuum reperitur pertineat ad Monasterium, cui assignatus est.

III. Quandocumque aliquis Monachus infirmitatis obtentu petierit in aliqua ex Gracis Monasterii morari, ei non annuat Superior, nisi Medicorum jurata fide testetur, & constet, observantiam Regularem sibi notabiliter obesse, quo casu Superior votis annuat, & indulget, quamdiu infirmitatis causa postulat.

Quicumque autem Abbates, alique nostris Monasteriis, & Congregationi Praefecti, cujuscumque Dignitatis, Gradus, & Praeeminentiae fuerint, si graviter in unoquoque praemissorum etiam unica vice, desides fuerint, aut alio modo deliquerint, voce activa, & passiva sint ipso facto privati, salvis manentibus gravioribus poenis excommunicationum, suspensionum, inhabilitatum, ac ceterarum, quae contra aliquam praemissorum per Bullas Apostolicas, & nostras Constitutiones statuta sunt. Ut autem executioni demandentur PP. visitatores, & Capitulo Generali deferre teneantur, quae in actu Visitationis contra praemissa patrata esse observaverint, quod munus, si diligentissime non expleverint, ipsi quoque eidem poene ipso facto obnoxii sint. Quapropter PP. Visitatores, dum Comitiorum nostrorum more congregati fuerint, super his rebus exactissimum examen instituire teneantur.

Ego D. Seraphinus a Mathera Abbas, & electus cum ceteris subscriptis ad examen.

Ego D. Joseph ab Augusta Abbas,

Ego D. Bernardus a Phara Abbas.

Ego D. Cyprianus a Brixia Abbas.

Ego D. Fortunatus a Mantua Abbas.

Ego D. Augustinus a Brixia Abbas.

Ego D. Hieronymus a Janua Abbas.

Nos infra scripti Definitores electi in Capitulo Generali Congregationis Casinensis habito in Monasterio S. Justinae de Padua hoc anno 1738 omnia haec, & singula amplectimur, & approbamus, eademque demisso animo subicimus supremo iudicio SSni Domini nostri Papae Clementis

tis XII. feliciter regnantis, humillimis precibus SSnum ipsum Dominum nostrum rogantes, ut ea dignetur Apostolica auctoritatis praesidio, ac munimine roborare, additis, mutatis, correctis iis omnibus, quae summae Sanctitatis suae sapientiae addenda, mutanda, corrigenda videantur.

Datum in Comitii nostris majoribus habitis in Monasterio Sanctae Justinae de Padua die 4. Maii Anno 1738.

D. Joseph Maria a Papia Abbas, & Praesidens.

D. Carolus a Perusio Abbas, & Definitor.

D. Ildephonus a Neapoli Abbas, & Definitor.

D. Lucidus Maria a Mantua Abbas, & Definitor.

D. Dominicus a Messana Abbas, & Definitor.

D. Virgilius a Brixia Abbas, & Definitor.

D. Joannes Placidus a Saviliano Abbas, & Definitor.

D. Joannes Antonius a Padua Abbas, Definitor, & Scriba Capituli.

Petita a Papa ad Decretorum confirmationem.

Concedit Clemens.

Eaque perpetuo servari mandata.

Derogant obstantibus.

§. 26. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dictus Michael Franciscus Procurator Generalis Decreta hujusmodi, quo firmiter subsistant, & ferventur exactius Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communitri summopere desideret.

§. 27. Nos ipsius Michaelis Francisci Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, omnia, & singula decreta praeferta, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adiciamus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 28. Decernentes eadem statuta, ac praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolice Auditorum judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 29. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consue-

Bull. Rom. Tom. XIV.

tudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1738. Pontificatus nostri Anno nono.

Dat. die 13. Septem. 1738. An. IX.

CCXLI.

Confirmatio Constitutionum in forma Communi Ordinis Fratrum S. Joannis Dei Congregationis Hispaniae.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. CUM, sicut dilecti filii Prior, seu Superior Generalis, & Definitorium Ordinis Fratrum Sancti Joannis Dei Congregationis Hispaniae nobis nuper exponi fecerunt, quod per Capitulum 102. Constitutionum Congregationis, & Ordinis huiusmodi auctoritate Apostolica in forma specifica tam a fe. re. Paulo Papa V. sub 6. Augusti 1611. quam a re. me. Urbano Papa VIII. Praedecessoribus nostris sub nona Novembris 1640. respective diebus confirmatarum Generali, & intermedio Capitulis Congregationis, & Ordinis huiusmodi facultas mutandi, corrigendi, addendi, & reformandi eadem Constitutiones concessa reperitur, hac tamen lege, ut earumdem Constitutionum sic mutatarum, correctarum, adjectarum, & reformatarum a Sede Apostolica confirmatio petenda foret.

Capitulum Generale hujus Ordinis habet facultatem mutandi, addendi &c. Constitutiones.

§. 2. Ipsi vero Exponentes pro felici earumdem Congregationis, & Ordinis regimine, & directione, nonnullas additiones per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositam revisas, examinatas, & approbatas condiderint.

Factas itaque super Additiones nonnullas.

§. 3. Ac proinde exponentes praedicti quo illa firmiter subsistant, Apostolica confirmatione nostrae patrocinio communitri summopere desiderant.

Prior & Definitorium Apostolica confirmatione communitri petunt. Praefat. Pontifex.

§. 4. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Constitutiones, additiones, & statuta praedicta dummodo tamen sint in usu, ac

T t